



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

In festo S. Hyacinthi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

& est Martyrium, Hinc sancti appetebant mortem, Paulus, *Cupio dissolvi*. S. Soter quæ semper vultum habuit velatum, cum esset palinis cædenda, illum detexit, de quo S. Ambr. exhortat. ad Virgines. *Vultum aperuit soli invelata martyrio, & volens injurie occurrere, vultum offerens, ut ibi fuerat sacrificium martyris ubi esset testamentum pudoris*. Chrysof. hom. 67. ad pop. *Si Religionis tuba vocet, statim progredere, & animam parvipende, &c.* Tantâ ergo promptitudine proprium effundamus cruorem quantâ quis aquam effunderet, nam & aqua sanguis est corpus irrigans, & eandem facilitate carnem exuamus quantâ vestimentum. Cùm denuntiaretur mors Cardin. Bellarmino ter in hæc verba prorupit. *O lætum nuntium!* Cùm Joanni Fischero Episc. Rosen. qui jussu Henrici Regis Angliæ securi erat pro fide decollandus, solennes accepit vestes & dixit. *Nonne hæc est dies nuptiarum mearum, ut eam honorem majori cultu opus est?* Si tanti est mors quàm alias debet homo subire quanti B. Virginis quam subire non debuit? & quia plus meretur qui in Majore DEI est gratia, B. Virgo cùm fuerit in majore quàm ullus post Christum, quantum per illum meruit? Quid non DEUS Abrahamo dedit, quia suum obtulit Isaacum, quid non Virgini quia suam vitam?

NB. De Eadem assumptione reperitur, ubi erratum est, in Ascensione Domini. fol. 48.

In Festo S. Hyacinthi.

Quod S. Bern. serm. 1. dixit in die S. Andreæ optimè convenit S. Hyacintho. *Fluvius est Prædicatorum ordo, non in eodem permanens loco, sed extendens se & currens, ut diversas irriget terras*. In hoc brevi elogio comprehensa sunt omnia Sancti.

L 3

Fluvius

Fluvius non definit currere donec in mare influat, ita huius Sancti nota devotio in B. Virginem. Fluvius nulli terræ adhæret, ille omnia contempsit, S. Nilus in Ascet. *Si quid enim retinetur, id cogitationem ad se assidue trahit, & à præstantioribus studiis animum avertit, ad extremumque etiam penitus abruptis à fraternitate.* Fluvius semper à suo fonte abit, sumus ex muliere, ab hoc fonte qui vult caste vivere, debet se elongare, &c. Diversas terras irrigat, &c.

De Eodem.

QUOD S. Hiacynthus expectaverit juxta præscriptum huius Evangelii Dominum, nulli potest esse dubium, præcinxit lumbos quia virgo, Greg. hom. 13. in Evang. *Lumbos præcingimus cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* Habuit lucernam ardentem in manu, ardebat versus DEUM amore, versus proximum exemplo. Erat expectans, continuo prospiciens per orationes, mortificationes, tandem illum Dominus super omnia bona sua constituit, pauca ex illis accipio ad considerandum.

Omnia quæ in mundo sunt, huius Domini bona sunt. *Domini est terra & plenitudo ejus.* Itaque Sancto dedit terram, hinc ab ea pellit pestes, morbos, dedit aquam, incessit pedibus per fluvium Vandalum prope Vissogradum, socios etiam in pallio vexit, &c. Sed non sola hæc visibilia habet hic Dominus, habet quasdam dignitates spirituales, & supra has sanctum etiam constituit. Prima dignitas est esse prophetam, Matth. ii. dicitur de S. Joanne Bapt. *Iner natos non surrexit major Joanne Baptista, & alibi. Hic est plusquam Propheta.* S. Th. quærit unde ista eminentia colligi possit, & respondet, ex specialibus favoribus quos DEUS S. Joanni præstitit. Quia fecit illum suum præ-